



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Alearum Praestigiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Sed non hîc ego te diu tenebo
 Albæ inter monumenta, origineſque,
 Ne dicas, Leo docte: Sus Minervam.

A D

FLAVIUM CHISIUM
 S. R. E. CARDINALEM,

ex legatione Gallica redeuntem.

PRisca refers Latio, FLAVI, ſpectacula pompæ,
 Gallica cum Cæſar reddidit arma Jovi:
 Tu quoque Viçtor ovas: Titulus præfertur ovanti;
 Gallia virtute atque indole capta tuâ.
 Hoc à Cæſarea differt tua palma: ſalutem
 Illa quòd eripuit civibus; iſta dedit.

ALEARUM PRÆSTIGIÆ:

EN tibi qui magnæ renovat miracula Circes,
 Plus digito, virgâ quàm fuit illa, potens.
 In varios Proteo traducitur æmula vultus,
 Semper fœta novis Alea prodigiis.
 Altera in alterius tranſit converſa figuram:
 Inque ſuam, nulli tacta, repente redit.
 Quamlibet è multis lege, comprehenſamque teneto;
 Vertitur in manibus forma colorque tuis.
 Si tela in flores verti cupis; ille Sibyllam
 Invocat: & flores Alea verſa refert.
 Mutantur paria imparibus; quadrata rotundis:
 Et fraga in moros degeneraſſe vides.

K

Par-

Parva loquor. Tacitis designa sensibus unam :
 Illicet hanc digito vaticinante notat.
 Stat circum densa, atque oculos defixa corona,
 Thessalico exclamat carmine monstra geri.
 Tu ne crede nefas. Facit hæc ludibria menti,
 Infidias oculis tendere docta manus.
 Neve fidem præstes alienis credule dictis,
 Quam debes oculis sæpe negare tuis.

*Inscribendum Aviario hortorum Quirinalium,
 in quo Turtures.*

Respice quisquis ades, Regum qui vivis in Aula,
 Si cupis effigiem fortis habere tuæ.
 Cum pleræque trahant per mille pericula vitam
 Suetæ hyemem volucres, pauperiemque pati:
 Turturibus secura quies, & copia frugum
 Suppetit, & rivus, cum lare, jugis aquæ.
 Hic ver assiduum: hic vesci fas dulcibus auris:
 Præsentemque loci sæpe videre Deum.
 Quas illi debent, tali pro munere, laudes!
 Hic tamen æternos gutture dant gemitus.

In obitum fortissimi Viri

NICOLAI SERINII

ab Apro confecti.

Dum flet dente fero Mavors heroa peremptum,
 In quem Asiæ iratæ nil potuere manus;
 Dumq; hastâ premit ultor Aprum, & simul exprobrat illi
 Quò Veneri placeat funus, Adoni, tuum;

Quint